

The following *commemoratio, salutationes, ovationes, and laudationes* were delivered on April 26, 1991, at the annual banquet of CAAS in the Copley Formal Lounge, Georgetown University, Washington, D.C.

COMMÉMORATIO: PHYLLIS WINQUIST

Te, cara Phyllis, valere dicere volumus, sed nolumus hanc laudem esse siccam. Haud sumus immemores quanta assiduitate iuvenes docueris, quanta diligentia stipendia huius societatis litteris studendis conservaveris et expenderis, quanta facultate duxeris, functa vicem praesidis, Societatem Classicam civitatis illustris propter hortos et Sodalitatem Classicam Novi Eboraci et denique hanc ipsam societatem. Sed quamquam tua propria sitis ut particeps studiorum classicorum fieres numquam extincta est, multa tamen effecisti ut sitis nostra ad conventus nostros vernaes autumnalesque extincta sit; talis erat tuus spiritus (et liberalitas tua spiritibus) ut memoria lepida tui ab omnibus retineatur. Cum gaudium tum aquam vitae compluribus nostrum attulisti, et nunc Ceres et Liber et omnia terrae numina te laete accipiunt.

University of Maryland

JULIE ANZELMO, JUDITH P. HALLETT,
RICHARD PRIOR

SALUTATIO DIE NATALI: JOHN FRANCIS LATIMER

Tertio anno praesidis nostri qui, hortatus ut loqueremur leniter sed fustem ferremus, equitavit ferociter sed nomen urso dedit, natus es, in civitate insigni luto. Hoc, tertio anno praesidis cui, simili tibi, Universitas immortalis carmine Whiffenpufforum erat educatrici, natalem diem celebras in hac, tua urbe, nondum civitate, sed insigni sordibus alius generis. Profuisti Universitati quae nomine commemorat patrem patriae nostrae ex diebus Tabularum Novarum, navalibus copiis patriae nostrae, et multis societatibus doctorum doctarumque non solum pius sodalis sed etiam dux et equidem exemplar. Nunc complex tot annos quot claves habet clavichordium. Nobis tua vita est cantui, laudanti antiquitatem classicam: te grate audimus et sequimur. Honoremus John F. Latimer.

University of Maryland

MARC FERRARA, JUDITH P. HALLETT,
BYUNG KANG

SALUTATIO: HARRY B. EVANS

Praetoriis sodalitatibus nostrae—et nationis aquilae calvae et nationis acerni folii—Philologiae Americanae Societatis, profectis ad caela magis septentrionalia post commorationem diuturniorem decem annis in regione nostra, honoramus filium Medio-Atlantici tractus, functum

strenue efficaciter astutissime proximum lustrum in vice et scribeae et praefecti aerarii. Proles civitatis quae "clavem-lapidem" per ludibrium se vocat, more poetae Ovidii Nasonis et aquaeductuum quos in scriptis doctis tuis investigavisti, multas per gentes et multa per aequora vectus, itinera fecisti et res magni aestimatas transtulisti longe ab fonte et origine tua: ad aulas hedera obsitas Novi Portus, domum agnorum perditorum et errabundarum ovium, causa adipiscendi gradum Baccalaurei Artium; ad partem Asiae australem, sed ad orientem versam, causa militandi; ad Universitatem Carolinae Septentrionalis, apud homines calcis pictatae, causa adipiscendi gradum Doctoris Philosophiae; ad urbem aeternam, ubi docuisti in collegio studiorum classicorum quod discipulos ex multis academiis attrahit, direxisti aestiva Academiae Americanae, et Ciceronis partem egisti ducens summos viros patriae nostrae; ad urbem vehiculorum se moventium. Sed ad nostrum angulum mundi rediisti, ad Universitatem Fordhamensem in parte Novi Eboraci illustri clamoribus. Fecisti communitatem philologorum fortiorem laetiolemque cum tuo lepore affabili sub oneribus ineffabilibus. Plaudamus Harry Evans.

University of Maryland

CHARLES BRIODY, JUDITH P. HALLETT,
CAIUS CERAUNUS STERN

OVATIO: ANTHONY COOMBER

Ut Ennius noster, pater litterarum Latinarum, tu es vere multorum cordium, linguarum et gladiatorum, quem non solum propter scientiam tuam tuumque ingenium sed etiam propter tuum studium communicandae scientiae cum aliis salutamus. In ora maritima Antiquae Hantoniensis natus, in insula sceptrifera, invicta ab invicto imperatore, ascendisti cursum honorum—ab officio monitoris scholastici ad potestatem capitis domi ad summum imperium discipuli doctissimi—in Schola Bedfordensi. Hoc anno qui confirmavit triumphos, in argentea tabella, operis heroici de terra gossypini et phantasiae de urbe smaragdorum, volens patriae tuae copias auxisti: imperavisti testudini in regione Jugurthae, invasisti terram tripartitam Sanctae Ioannae, et praefectus es, ut secundus sub maiore duce, divisioni Jedburgensi in parte occupata imperii Britannici orientalis. Duo autem corda pari ardore in bello tibi pulsabantur, qui illo tempore perdidicisti linguas Galliae Indiaeque terraeque orientalis in imperio Britannico nomine coniuncto tendendo.

Pace perfecta, libentissime carpens dies studiorum scholasticorum, et rebus antiquis gentisque humanae et litteris Graecis Latinisque studuisti apud Aulam Trinitatis in Universitate Cantabrigensi, et gradus Baccalaurei Magistrique Artium adeptus es. Exemplo Aristotelis, constituisti ducere alios in explorationem eruditionis, emigravisti ad Novum Mundum, ad Novam Britanniam, et denique ad academiam in regione huius societatis, propinquam universitati insigni tigribus. Hic erat innumeris iuvenibus fructui tuus ardor litterarum gladiatorum-

que. Quibus tradidisti non solum patrimonium calami potentis specie litterarum Graecarum Latinarumque, sed etiam, ut praeceptor batuendi, gladii agilis. Inter discipulos tuos priores invenimus alios praeclaros propter studia classica, alios principes batuendi in praeclaris universitatibus—inter alias universitate erubescenti proxima flumini Carolo et universitate sublimi super aquas Cayugae. Cum non sis qui patiaris herbam sub tuis pedibus crescere, multas aetates te consecravisti ad studendum, in Civitatibus Foederatis et in peregrinis terris, praesertim ad studendum ei quod et sub herba et nostris pedibus iacet: res antiquas Romae, Terrae Sanctae, Britanniae, Helvetiae et Germaniae Romanae, Graeciae, Cretae et Asiae Minoris. Nunc post multos annos docendi, aetatem adeptus quae plurimis sit otium, habitas prope urbem Concordiae, in Nova Hantoniensi, excavans solum plenum saxis et competitoribus officii praesidis patriae nostrae, et docens res classicas et artes batuendi in alma matre novissimi, Latinoloquentis, iudicis Fori Supremi. Plaudamus Anthony Coomber.

University of Maryland

JANET GRAPE, JUDITH P. HALLETT,
P. A. MAGEE, LOUISE PAYNE, DONALD WALLACE

OVATIO: FRED MENCH

In umbra novi palati Caesaris, prope urbem maritimam ubi aleae iaciuntur, ubi multae manus transferunt ingentes summas pecuniae et ubi pulcherrimae feminae contendunt quotannis honorifica causa patriae nostrae repraesentandae, habitas, vir stabilis fidusque praestansque, morum omnino congruentium significationi tui nominis in illa lingua qua loquitur populus conferens gloriam in ius coctum ex pullis gallinaceis et in iecur comminutum. Natus eruditusque in hac regione Medio-Atlantica, es alumnus urbis illustris propter lac coactum, et Academiae Centralis. Adulescens fecisti iter in vicinam civitatem, quam admirantes magni Romani agricolae militisque quondam constituerant. Ibi, similis histrioni insigni oculis caeruleis et oleario, Paulo Novo Homini nomine, adeptus es gradum Baccaleurei Artis in Academia Kenyonsensi. Merens gradus Magistri Artium et Doctoris Philosophiae ex universitate taurocanis, capiti ossei et ossuum inhumatorum in Novo Asylo, studuisti Romae unum annum. Mox, post reditum tuum, cum tui socii Americani elegissent praesidem ex civitate Solius Sideris, emigravisti in illam parvulam partem patriae nostrae ut doceres laboraresque adminstrando. Perpetuans affinitatem praecipuam inter almam matrem tuam et argenteam tabellam, incepisti scribere de Aeneidi Vergilii e prospectu cinematographico et excoluisti praecipuam peritiam in applicanda nova scientia machinamentorum calculatoriorum ad nostram antiquam venerabilemque disciplinam.

Sed nos te nunc laudamus quia huic societate optime profuisti. Es primus auctor in communitate classica regionis quam appellabimus, ad verbum, Australem Tunicam. Serviisti tuae universitati Academiae Stocktonensi, et illuminavisti incolas finitimos invitans seriem conlega-

rum ex omni parte huius regionis qui orationes de antiquitate classica facerent. Interdum tuus modus te gerendi—in tua vice editoris librorum recensendorum apud libellum nomine Mundi Classici—admonet quosdam ex nobis cuiusdam in Sermonibus Horatii nostri, qui poetam ambulantem in Sacra Via persectus est. Tua assiduitas et labor diligens autem nos remuneratae sunt, declarantes quam celerrime brevissimeque novos libros multis legentibus. Licet “mega biblion, mega kakon” sit, sed te duce, magnus numerus librorum manet magnum gaudium. Plaudamus Fred Mench.

University of Maryland

THOMAS CAVANAUGH, JOHN CUCK,
WILLIAM R. DIESS, JUDITH P. HALLETT

LAUDATIONES: BERNARD M. W. KNOX AND
ETHYLE R. WOLFE

Celebramus etiam duo lumina causae nostrae et nostrae regionis. In sollemnibus caerimoniis quibus praesedit vicarius praeses noster, Coturnix nomine, visitator in terris Latino-Americanis et ergo (ut facetiae ferunt) amator linguae Latinae, ambos honoravit Fundamentum huius rei publicae Firmandarum litterarum humaniorum, quia quisque scripta rerum gestarum, monumenta litterarum, opera philosophiae et alia studia simillima tam illuminavit ut omnia talia omnes clarius intellegerent.

Unus, natus anno quo Primum Bellum Universale coepit, eruditus in Universitate Cantabrigensi, proeliatu subsidio rei publicae Hispanicae, emigravit in patriam nostram ab Britannia. Statim fiebat voluntarius in exercitu Americano, et propter suas res gestas militares et Stellam Aeneam et *ton tês machês stauron* meruit. Tum regressus ad studia classica, adeptus est gradum Doctoris Philosophiae in Universitate veterum caeruleorum, ubi docebat multos annos donec ad urbem rubrorum cutium et cerasorum venit, ut institutum studiiis Graecis deditum Universitatis Harvardianae administraret, inauguratus eodem anno quo novus praeses Albam Domum occupavit, iuvenis moriturus intempestive. Scripta eius, praesertim libri de animo heroico et Sophocli, ei gloriam per orbem terrarum tulerunt. Quaedam universitates praecipuae—ea quae parturivit amplificationem libere dicendi, et ea quae primum et feminas et viros adscripsit—eum coluerunt honorificis invitationibus ad promulgandas cogitationes; aliae—inter quas alma mater eius—honorificis gradibus. Omnes tantum debemus eius fortuito concursu cum volumine Vergilii in ruinis villae Italianae, qui ei persuasit ut mundum classicum iterum complecteretur.

Altera est dux femina multorum factorum, quae alii conlegarum nostrorum, Benedicto ex Universitate hederacei foederis in urbe quam Magnum Malum appellamus, nupsit. Silvis collibusque relictis, haec filia Viridium Montium civitatis et Universitatis eius studia classica est persecuta in Academia, doctarum feminarum et nominis Ordovicensis, inter alumnas numerantis dominam tabellae argenteae, quae partem

Roseam in fabula Reginae Africanae egit. Post finem Secundi Belli Universalis adepta gradum Doctoris Philosophiae in Universitate Novi Eboraci, incepit longam et fructuosam propinquitatem cum Collegio Brooklynensi: ut professor in provincia classicorum studiorum et litterarum comparatarum, ut decana scholae litterarum humaniorum, ut praeses, utque vicaria praefecta rebus academicis. Ea monumentum perenne exegit in hac universitate, formando et implendo cursu studiorum qui cor scientiae communicat et acclamationes summas commeruit, et ordinandis disputationibus auctui facultati docendi, quas docti ex omnibus universitatibus undique visitarent. Praeterea, condidit duo instituta: alterum, deditum linguis Graecis et Latinis, vacuefacit pavimenta Novi Eboraci, in latere orientali et occidentali, quaque aestate; alterum, deditum studiosis litterarum humaniorum, nunc suum nomen fert. Honoremus Bernard M. W. Knox and Ethyle R. Wolfe.

University of Maryland SHARONNE ALBICKER, CHRISTINE BROGAN,
CW 84.6 (1991) CAROLYN GATES, JUDITH P. HALLETT